



Patriarchatus Latinus- Ierusalem  
البطريركية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

Die 21 Julii  
S. Ieremiae, prophetae  
Memoria

Ant. ad introitum

Ier 23, 3-4

Ego congregabo reliquias gregis mei, de omnibus terris,  
et suscitabo super eos pastores, et pascent eos.

Collecta

Deus, qui populum tuum per os Ieremiae prophetae,  
ad paenitentiam misericorditer vocasti,  
ab omnibus nos propitiis absolve peccatis,  
ut, quod nostris offenditionibus promeremur,  
tua indulgentia repellatur.

Per Dominum.

LECTIO PRIOR (propri.)

« Priusquam te formarem in utero, novi te »

Lectio Ieremiae prophetae

I, 4-10

In diebus Iosiae :

Factum est verbum Domini ad me dicens: « Priusquam

te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva,  
sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te ».

Et dixi: « A, a, a, Domine, Deus, ecce nescio loqui,  
quia puer ego sum ».

Et dixit Dominus ad me: « Noli dicere: Puer sum;  
quoniam ad omnia quae mittam te ibis, et universa quaecumque  
mandavero tibi loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia  
tecum ego sum ut eruam te » dicit Dominus.

Et misit Dominus manum suam, et tenuit os meum, et  
dixit Dominus ad me: « Ecce dedi verba mea in ore tuo;  
ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas  
et destruas, et dispersas, et dissipas et aedifices et plantas ».

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ier 17, 7-8 (R. Lc 11, 28)

R/. Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

vel

R. Ier 31, 3

R/. In caritate perpetua dilexi te.

1 Benedictus vir, qui confidit in Domino,  
et erit Dominus fiducia eius;  
et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas,  
quod ad humorem mittit radices suas,  
et non timabit cum venerit aestus. R/.

2 et erit folium eius viride,  
et in tempore siccitatis, non erit sollicitum,  
nec aliquando desinet facere fructum. R/.

ALLELUIA

Ier 1,5

R. Allelúa. ¶ Priúquam te formárem in útero, novi te; et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in gentibus dedi te.

R. Allelúa.

EVANGELIUM

« *Si cognovísses quæ ad pacem tibi !* »

† Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 19, 41-44

In illo témpore :

Ut appropinquávit Iesus Ierúsalem, videns civitátem flevit super illam, dicens : « Si cognovísses et tu in hac die quæ ad pacem tibi nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia vénient dies in te, et circúmdábunt te inimici tui vallo et obsidébunt te et coangustábunt te úndique, et ad terram prostérnent te et filios tuos qui in te sunt, et non relínquent in te lápidem super lápidem, eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ ».

Verbum Dómini.

vel

« *Ierusalem, quae lapidas Prophetas qui ad te missi sunt* »

† Lectio sancti Evangélii secúndum Mattháeum 23, 37-38

In illo témpore :

Dixit Iesus Pharisaéis : « Ierúsalem, Ierúsalem, quæ occidis Prophétas et lápidas eos qui ad te missi sunt, quóties vólvi congregáre filios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, et noluístis. Ecce relínquitur vobis do-

mus vestra desérta. Dico enim vobis. Non me vidébitis ámodo donec dicátis : Benedictus qui venit in nomine Dómini ».

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Præsta quæsumus, omnípotens et misericors Deus, ut hæc salutáris oblátio, deprecatióne beáti Ieremíæ Prophétæ, fámulos tuos et a pròpriis réatibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis.

Per Christum.

*Ant. ad communionem*

Ier 31, 3

In caritaté perpétua diléxi te; et ideo attráxi te mísérans.

*Post communionem*

Deus qui per hunc panem vitæ a peccati vínculo fámulos tuos liberásti, éorum étiam corda mísérans sic áttrahe, ut numquam a te separári permíttas, quos in caritaté perpétua dilexísti.

Per Christum.

Die 29 Iulii

Ss. Lazari, Marthæ et Mariæ, hospitum Domini  
Memoria

*Ant. ad introitum*

Lc 10, 33

I ntrávit Iesus in quoddam castéllum, et múlier quædam Martha nómine excépit illum in domum suam.